

54. Qua mediante unione ineffabili, realiter, hoc est, non verbotenus sive ἀλλοιωτικῶς, Deus esse homo: & Homo DEVS: FILIVS DEI filius hominis, ac Filius hominis Filius Dei dici cepit, Personaliter enim Filius Dei non est ἀλλοιωτικῶς & diversus à Filio hominis: Sed idem est qui Filius hominis: Sic personaliter Filius hominis idem est qui Filius Dei.

55. Facessant ergo phrases istae: Homo Christus est DEVS, non quâ homo, sed quâ DEVS: aut Christus Deus est homo, nō quâ Deus, sed quâ homo: aut Christus est Filius DEI, quâ DEVS, non quâ homo.

56. Neque enim de Naturis ipsis in se consideratis est questio, vnde nimirum CHRISTVS sit naturalis Dei Filius, vel naturalis hominis Filius: Sed de Personâ queritur. Sive ergo Filium hominis, sive Filium Dei nominaveris, non naturam, sed personam vnâ eandemq; nominasti, quæ est propter persone vnitatem & Deus & Homo: DEI & hominis Filius.

57. Hinc qualitas & conditio Communicationis huius naturarum, ex unione personali resultantis perspicitur, quæ non est, ut nature inter se seorsim & abstractivè: hac enim ratione predicatio fieret in abstracto: & humanitas nominanda divinitas: ac Divinitas appellanda humanitatis: Sed ut nature in personâ